DE THYREOPHYMATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE XXXI. M. JANUAR. A. MDCCCLIII
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
GUILELMUS HENRICUS SCHRADER
GERBSTADIENSIS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

HUGO FRIEDLAENDER, MED. ET CHIR. DOCTORANDUS.
HENRICUS TIEFTRUNK, JURIS ET CAM. STUD.

HALIS SAXONUM,
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

MANIBUS PATERNIS!

Vobis, Manes dilectissimi libellum illum tanquam parientalia dico qui in hac aerumnosissima vita semper me comitati estis et quorum pientissima memoria recordor quoad animus magno quoque et excelso sensu efferatur! Ad vos quum vitae ardua mihi obstarent semper confugi, a vobis ad labores sustinendos opem petivi, in vestram fidem tutelamque adversus temporum iniquitatem semper me commisi! Vestrum exemplum recti pervicacia et beneficentia temperata viam mihi demonstravit quam si

homo sequatur monumentum sibi constituet quod in aequalium ore resonet et cum aetate semper fiat illustrius et a funere etiam clarius eluceat! Quidquid boni est in me hoc vobis debeo et etiam amplius benignissimis vestris auspiciis in me despicite!

DE THYREOPHYMATE.

Glandula thyreoidea — quod organon quale sit inter physiologos nondum satis convenit, plurimis tumoribus pathologicis saepenumero infestatur qui non tam ipsi sua indole quam suo cum proximis partibus connexu organismum vitamque aegrotorum in discrimen maximum deducere possunt. Quo factum est ut hoc omne glandulae thyreoideae tumorum genus cui commune thyreophymati nomen inditum est inde ab antiquissima aetate quum medica ars vixdum nata esset studia medicorum vehementer usquedum teneret idque eo magis quo minus causalis eorum origo nondum satis intellecta sit; adeo ut haec potissimum materia medicorum observationi undequaque largissima et fructuosissima videatur.

Descriptio: Solet strumae vel thyreophy matis vel bronchoceles nomen lentam quandam et sensim procedentem glandulae thyreoideae amplificationem significare. Usus est hoc nomine strumae jam Celsus illud medicorum quasi decus et praesidium perenne, quamquam strumam idem esse vult quod scrofulos et omnem in dorso cervicibusque prominentiam, quamsi in pectore est, gibbum appellat. Celsi judicio si sequimur ejus definitionem, struma tumor est in quo nonnullae glandulares concretiones ichoris ac sanguinis exsistunt quae plurimis de causis ad tollendum perdifficiles sunt. Nam primum febrilibus reactionibus conjunctae sunt, deinde ad muturitatem raro perveniunt ideoque plenae curationi locum vix concedunt. Etiam Plinius major, locupletissimus auctor et historiae naturalis parens

memoriae prodidit, sues potissimum anginae et strumae obnoxias esse. Quare si glandulae thyreoideae tumores qui a scrofulis qui dicuntur toto coelo distant pariter atque recentiores autores strumae nomine appellaremus vitiosissima ratione incertam et tenebricosam veterum sententiam cum maximo medicae artis incommodo sequeremur. Itaque non dubitavimus Petro Frankio, viro immortali, auctore, nomen thyreophyma usurpare quippe quod ad accuratam glandulae thyreoideae morbi de quo agitur descriptionem aptissimum esse censeamus. Auctores permulti magnum numerum diversissimorum tumorum qui in collo et in glandulae thyreoideae regione reperiuntur ad strumae naturam repetierunt, ideoque duplex genus, alterum veri alterum falsi thyreophymatis positum est, quam tamen partitionem eam ab rem prorsus improbamus quod thyreophyma ipsius glandulae thyreoideae degenerationem quandam continet. Ut enim unum errorem proferam in quo diu incautorum temeritas se jactavit strumam inflammatoriam locuti sunt quae rectius thyreoadenitis sive angina thyreoidea appellatur quo in morbo recenti aetate Waltheri praesertim, viri nobilissimi industria exsplenduit. Est illa autem inflammatio genuina glandulae thyreoideae quam nonnunquam thyreophymatis origo consequi credibile est. Sed quum thyreophymatis peculiaris ac suus morbus sit ad cujus decursum nulla omnino genuinae glandulae thyreoideae inflammationis pars pertineat, praeclare actum videtur si affectiones inflammatorias a thyreophymate prorsus segreges.

Est praeterea struma spuria adiposa O'Birnesii quam nimia adipis in glandula thyreoidea concretione contineri volunt, cui etiam hydroceles colli nomen est.

Denique huc referenda est ea conditio pathologica quam bronchocelem adpellaverunt de qua paullo accuratius dicendum videtur. Fateor in decursu tem-

porum bronchoceles nomen cum thyreophymate confusum et promiscue usurpatum esse, sed eam esse putant subitaneam post respirationis contentioris labores incidentem tumorem eo colli loco quo thyreophyma verum nasci solet. Nec tamen de hujus tumoris ortu et incrementis quidquam omnino liquet, modo illud autumant eum esse collectionem aëris in tela cellulosa glandulae thyreoidae vel quod verisimilius est in hac glandula ipsa. Dicitur is tumor si tangatur crepantem sonitum edere idque ut explicarent statuerunt parvulos canales e trachea in glandulam thyreoideam ferre aëremque hac via immitti; quamquam horum canalium recentiores anatomi vestigium prorsus nullum deprehenderunt. Alii vero scissuram contentione halanti inter annulos tracheae quae aërem immitteret vel sacciformem prolapsum membranae intimae tracheae inter duos annulos ejus aut inter cartilagines thyreoideam et cricoideam ejus morbi causam esse voluerunt. Sed ut alia omittamus neminem certe fore existimo qui contendat eum aerem atmosphaericum qui quamdiu vivus homo sit in telam cellulosam vel violatione aliqua traumatica vel alia ratione introierit, vigente animali calore diu in ea permanere posse quin tota dissolvatur. Ac revera nullus casus fuit quos quidem observaverunt in quibus non tumor ille aëreus die jam octavo ad summum duodecimum usque prorsus evanuerit. Causam vero occasionalem fere hanc proferunt vel e partus doloribus vel e traumaticis violationibus internae laryngis membranae et in hac pariter atque in trachea et alio loco aëreos tumores innasci. Pariter rupturâ internae trachealis membranae vehementi tussi ac tumores aëris orti sunt qui e simili violatione inter pariendi nixus exstitisse feruntur. Nec non immodico clamore, nisu, in longiore vocalium instrumentorum tractatione imprimis in cantu si altae voces

edendae vel vocis crispationes frequentes sunt, idem malum exsistere potest.

Quae quum ita sint partitionem vulgo constitutam retinere placet, qua thyreophyma aneurysmaticum, lymphaticum atque degeneratum esse dicitur, quoniam hanc potissimum partitionem magnam medico ad usum omnem opportunitatem praebere apparet.

Constitutum est thyreophyma aneurysmaticum, vasculosum, varicosum seu sanguineum ectatica conditione vasorum glandulae thyreoideae, non innòvatione vel immutatione parenchymatis ejus glandulae quae in caeteris generibus deprehenditur. Haec vero augmentatio glandulae thyreoideae extensione arteriarum et venarum et adaucto sanguinis in eam glandulam impetu gignitur celeriusque exsistit quam duo genera reliqua, ac licet hic quoque videre ipsa hac simplici aegra intestinorum et mollium partium amplificatione diametrum quoque vasorum sanguineorum sensim ad ambitum amplificatae partis extendi. Id quod etiam minus in glandula thyreoidea mirabile est quippe quae e quattuor arteriis quae cerebralium arteriarum magnitudinem exsuperant, quasi unum rete vasculosum magnum praestet. Intumescentia tactu solida et intenta et calida est atque aegrotus pariter ac manus exploratoris arteriarum pulsationem quandam sentit, imprimis majorum qui pulsus saepenumero etiam conspici potest. Praeterea magnâ sanguinis in caput congesti violentiâ vertigo, haemorrhagiae narium, molestiae halandi et deglutitionis ipsâ pressurâ effectae in hoc morbi genere multo frequentiora et auctiora sunt quam in caeteris, ita ut mali adauctio permagna incrementa interdum fere capiat. Anatomica exploratio nihil fere nisi dilatationem vasorum exhibet, in quibus interdum coagulatus sanguis invenitur.

Thyreophyma lymphaticum seu cellulare P. Frankii, quae forma frequentissima, id est locatum in tela

cessationem thyreophymata oriri quod quidam affirmaverunt nondum ad liquidum adductum est.

Prognosis: Quae mali a nobis tractati prognosis sit et esse debeat ex iis satis intelligitur quae explicavimus: est enim plerumque fausta, aegri bene se habent et si importunitatis quandam deformitatem excipias, satis salve adeo ut thyreophymata quaedam per totam vitam ferrentur nulla magna molestia. Interdum malum si nondum inveteratum est aut tollitur aut evanescit si loci mutatio aut demigratio in aliam regionem facta est. Attamen thyreophymatum in organismum effectus non semper tam lenes sunt quoniam interdum ut jam satis demonstratum est nimia tumoris et in tracheam et in organa deglutitioni servientia pressura suffocatio vel strangulatio vel denique mors ex ciborum inopia incidit partim propter impeditum sanguinis lymphaeque refluxum inde a capite vertigo atque apoplexia letifera oriri possunt et apoplexia imprimis tum quum vasa colli magnam compressionem patiuntur. Etiam illud accidit ut interdum tumores thyreophymatosi in exulcerationem abirent, qua re aegroti in magnum periculum adducuntur, quoniam compressione tracheae atque vasorum colli dispnoea et soporosa capitis obscuratio periculosissima est. Praeterea timendum est ne laryux vel trachea exulceratione tumoris erodatur. Sed multo melior quam endemi thyreophymatis prognosis sporadici est quum praesertim turbationibus mensium vel anomaliis organorum sexualium conjunctum est. Nam tum facillime tollitur et fere semper post ipsum evanescit quum hae functiones in ordinem redactae sunt. Ac nonnisi inveterata et magnum ambitum nacta vel in duritiem cartilagineam degenerata thyreophymata omnem medicationem eludant et irritam reddant. Scirrhus qui rarissimus est et fungus medullaris glandulae thyreoideae eandem sane desperatam prognosin admit-

tunt quam ejusmodi desorganisationes etiam aliorum organorum afferunt quae plerumque aegrotum brevi tempore a vitae miserrimae cruciatibus liberant.

Cura: Curatio admodum diversa est prout operativa est aut medicamentis pharmaceuticis malum invadere tendat. Curatio pharmaceutica aut externa aut interna est. Indicationes quarum in curatione ratio habenda est fere hac sunt. Volunt in iis regionibus in quibus thyreophyma endemum est ejus originem apta vivendi ratione et consentaneo vitae cultu impedire. Quum thyreophyma jam exstiterit jubent id tolli vel si minus id fieri possit ejus incrementa impediri et ad volumen magis exiguum revocari quomodocumque id fieri possit. Itaque curationis prophylacticae causa apparet bene actum fore si incolis vallium humidarum habitacula meliora assignarentur omnisqne colli musculorum contentio vel inflandi vel cantandi vel sibilandi vel clamandi vitari juberentur. Etiam illúd e re fuerit cibis nimis crudis abstinere atque illud ad sanitatem multum facere arbitror commendare puellis ut inde a primis annis collum integumentis satis calidis foveant et circa collum fasciam sericam vel animali lana contextam gestent, quippe quod ad electricitatis commotionem admodum utile esse dicatur. Si suspicio est aquas noxias esse aliarum potatio providenda est et si aqua universae regionis omnino damnosa fuerit emendatio ejus omni modo quaerenda est. Haec in arte sita sunt; illud sane extra artem positum est ut effectibus crassi humidi cessantis materia electrica non satis diffusi aëris occurratur nisi forte commigrationem in aliam regionem quis commendabit qua in re certissimum prophylacticum positum est. Ceterum curationem endemi thyreophymatis tam raro aliquid efficere posse eo optime intelligitur quod causarum occasionalium vis perpetuo valida tolli non potest.

Plus valet opera artis in sporadico thyreophymate ac permulta medicamenta ad ejus curationem commendata sunt quae validiora putantur quum ab aegroto nonnisi lente deglutiuntur, quoniam opinio est medicaminum in vasa absorbentia assumptione glandu amthyreoideam certius tangi. Itaque medicamenta quae eo consilio dantur forma pulveris, electuarii vel boli imperantur. Primum locum Jodina tenet eaque ejus praeparata de quibus imprimis Kali jodat. aut solum per se aut cum Jodo puro conjunctum usurpantur. Rarius ad Tinct. Jodi confugiunt ut praeparatum admodum excitans cujus efficientia nondum satis temperata est. Antequam Jodina innotuit praecipue Spongia marina adhibita est quod medicamentum adeo probatum fuit ut famam medicaminis specifici ad curationem thyreophymatis nancisceretur. Attamen intellectum est hoc quoque medicamine Jodinam contineri et plus quam verisimile est quidquid spongia tosta in morbi cura effectum sit nonnisi Jodinae si quae in ea insit tribuendum esse. Etiam nunc hoc medicamen ut praeparatum Jodinae leniter validum adhiberi potest ita tamen ut si aliqua ejus utilitas esse debet continuatus ejus usus instituatur et etiam tum per complures hebdomades imperetur quum malum ipsum sublatum sit. Datur autem forma pulveris electuarii, boli vel decocta et adduntur quum medicamentum organa digestiva graviter ferant amara vel Eleos. Cinnam. Vim spongiae marinae etiam additamentis aliorum resolventium medicamentorum augere tentaverunt ex quo permagna multitudo compositionum partim admodum laudatarum nata est quarum magna pars arcanorum et inclitorum pulverum thyreophymaticorum nomine fertur. Ita Spongia marina cum Stib. Sulf. aur. cum Hydr. chlorat. mit. cum Digitale Cicuta composuerunt. Si quis Jodum adhibere volet caveat ne incaute id agatur. Jod-

um enim singuli ad modum aegre patiuntur ita ut post Jodum persaepe symptomata gravissima appareant et quorum violentia diligentissima medicorum cura dignissima sit. Accedit quod hoc medicamen in foeminis dum menses consistunt semper intermittendum est ut ne congestiones in organa uterina etiam magis augeantur.

Praeterea nonnihil valuisse dicitur Magnesia calcinata, Natrum muriat. resolutum et aliquamdiu ore retentum, usus diu continuatus aquae marinae, Kali sulfuratum aqua solutum ad gr. XXX., Sapo venetus, alkalia omnia, Acetum squilliticum, Belladonna, Kermes mineralis, emetica sāepius repetita quae irritatione certe sua efficacia sunt, Extr. Cicutae seu Succ. ejus recent. expr., Extr. Digitalis ad gr. XII. sensim ac caute auctum, Bolet. suaveolens carbonatus additis aliquibus particulis Baryi chlorati.

Curatio externa magnopere internam sustentat ipsaque per se adhibita saepe effectus faustos edit. Huc spectat quod nonnulli dixerunt thyreophyma saepius atque iterum vestibus lanatis terendum esse quod certe multo magis proficit si in ea re substantiae eae adhibentur quae irritando vim resolvendi exhibent. Quapropter jubentur aegroti circa collum fascias lanatas crassiores gestare interdum vaporibus aromaticis impletas. Efficacisimum est Ung. Kali hydrojod. ex ʒj — jβ ad Axungiae porcin. ℥j — jβ praescriptum quod bis quotidiano usu in fabae magnitudine tumori illini imperatur. Deinde omnes inunctiones substantiarum spirituosarum veluti Spirit. camphor., Spirit. saponat., Spirit. coloniens. per se unici adhibiti vel cum Liq. ammon. caust. conjuncti et diversissimis oleis aethereis vel solutione Natr. muriat. vel Ammon. hydrochlor. concentrata commendantur. Linimenta vel unguenta lotiones supra memoratas sine ulla dubitatione antecedunt, imprimis commendantur Linim. am-

ctus quaeritur bene actum erit in contrarias partes illud inserere.

Cauterisatio et Incisio thyreophymatis fere dignae sunt quae hoc loco paene ne nomine quidem commemorentur ac nunc temporis prorsus rejectae sunt.

Exstirpatio glandulae thyreoideae quae recenti aetate saepius facta est jure optimo artificium operativum nominanda est et permulti lamentabiles eventus, qui eam consecuti sunt, eam ex akiurgia prorsus rejiciendam esse satis demonstrant. Testatur illud primum quod sanguinis copia quae ex multis arteriis, quarum numerus ne computari quidem obiter possit, emittitur aegrotum in ipsa operatione morti tradere potest. Deinde quod ea tamdiu durat ut aeger etiamsi corpore robusto sit doloribus ne succumbat timendum sit. Tum multitudo nervorum in ea tota regione tanta est et quorum ulneratio organismo teterrimos et pernicialissimos casus afferre queat. Huc accedit quod operatione feliciter perpetrata suppuratio per tantam superficiem diffusa saepenumero aegrotum conficit et interimit. Quapropter unusquisque chirurgus hisce omnibus rebus computatis adducatur ut operatione desistat quoniam multo verisimilius est aegrum corripi quam ut faustus eventus operationis appareat. Quamquam sophismata spinosissima frustra sententiam sibi vindicare conantur viam quae ad salutem sit incertissima indubiae morti praeferendam esse. —

VITA.

Natus sum ego Georgus Guilelmus Henricus Schrader Gerbstadii patre Joanne Carolo medico, matre Carolotta e gente Kappiana quorum parentum carissimorum illum praematura morte mihi undecim ante annos, hanc quattuor ante annos Cholera morbo ereptos esse lugeo. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus orphanotropheum adii Halense rectore Eckstein florens et mense Aprili anni XLIX testimonio maturitatis instructus in almam literarum academiam Halensem immigravi ubi ab Ill. Meier t. t. prorectore magnifico in civium academicorum numerum receptus apud Ill. Krukenberg gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum nomen professus sum.

Per quadriennium hisce interfui scholis: Ill. Schaller de logica arte. Ill. Schweigger de physica. Ill. de Schlechtendal de botanice. Ill. Germar de mineralogia. Beat. Friedlaender de encyclopaedia et methodologia medicinae. Beat. Marchand de chemia organica atque anorganica et chemico laboratorio. Ill. Burmeister de Zoologia. Ill. Erdmann de psychologia. Ill. Krahmer de pathologia et therapia generali, de pharmakologia, de arte formulas rite concinnandi. Ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali. Ill. d'Altonde anatomia cuncta descriptiva, de histologia, de arte cadavera rite secandi, de anatomia pathologica. Ill. Blasius de chirurgia, de akiur-

giá, de operationibus ophthalmiatricis, de fasciis et instrumentorum apparatu. Ill. Hohl de arte obstetricia. Ill. Volkmann de physiologia. Ill. de Bàerensprung de arte auscultandi et percutendi.

Scholis clinicis interfui medicis apud Ill. Krukenberg per quatuor semestria, chirurgicis apud Ill. Blasius per quatuor, obstetriciis apud Ill. Hohl per tria semestria.

Quibus omnibus viris optime de me meritis summas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico neć non examine rigoroso rite superatis spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —

THESES

QUAE PROPONUNTUR.

I.

Exstirpationem glandulae thyreoideae tamquam artificium operativum ex akiurgia esse reprobandam.

II.

Scrofulosin et tuberculosin diversos esse morbos.

III.

Medico licere necare.

mon. sapon. per se solum vel cum Camph. conjunctum, commixtio ex Sapon. stibiat., Asa foetida, Extr. cicutae et Hydr. chlorato miti conflata, Linim. saponato-ammoniat., Succ. Digital. rec. expr., Ol. terebinth. cum Liq. ammon. caust. et Camphora conjunctum, Ung. hydr. cin. aut purum vel cum linim. ammon. conflatum, quin etiam ipsae Cantharides, Ol. Petrae, Ol. animal. Dipp. cum Opio. Alias commendatum est tumorem emplastris irritantibus obtegere quae terebinthina addita etiam majorem effectum ferre dicuntur. Huc referendum est Empl. Cicutae, Empl. Meliloti, Empl. Galbani, Empl. Asae foetid. Etiam Galvanismus et electricitas idemtidem adhibita commendantur quo facto faustum eventum evenisse complures medici asseverant. Si continuato usu horum irritantium medicaminum phlogisticae reactiones ortae sunt, nimirum tamdiu ille usus intermittendus est, donec irritationis evanuerint signa, nisi forte medicamina pharmaceutica inflammationi prout vehemens magis minusve accomodata instituenda sunt.

Quum quod persaepe venit medicaminibus supra allatis non efficitur ut thyreophymatis curatio prorsus absolvetur, possunt iis tamen ejus incrementa impediri et thyreophyma ipsum ad imminutum volumen revocari. Quamobrem haec medicamenta maxima energia ibi usurpanda sunt ubi malum eo molestiae progressum est ut perpetuo tracheam comprimat et varias respirationis affectiones et importunitates pariter atque deglutitionis impedimenta quin etiam sanguinis e cerebro refluxus inhibitione apoplexias excitet.

Ex hac curatione id genus thyreophymatis, quod proprio nomine aneurysmaticum appellatur atque ut supra demonstratum est cum anomaliis mensium et perturbationibus systematis uterini fere cohaeret, ne-

cessario excipiendum est. Nam hujus mali natura ea est ut omnibus huc usque prolatis medicaminibus resistat adeo ut irritantia imprimis medicamina a curatione prorsus removenda sint. Itaque qui omnino hoc thyreophymatis genus efficaciter curaturum se esse speret is nonnisi ea curatione uti debebit qua sanguinis per corpus diffusio minuitur atque sanguinis ad glandulae thyreoideae vasa accessus impeditur. Huc pertinent modicae certis intervallis repetendae venaesectiones, hirudines, sales neutrales tumorem sedantes et antiphlogistici, Aq. laurocerasi, curatio subtractiva, Digitalis, derivantes manuum bracchiorum pedumque lavationes fomentationes frigidae glaciales vel aquatiles aliaque id generis. Necessario autem ad prosperum curationis eventum aptam vivendi rationem et observationem quietis maximae requiri ipsum per se patet. Nec negligendum est medicamentis aptis has perturbationes menstruationis tollendas esse.

Ut thyreophyma inflammetur efficitur plerumque usu irritantium medicaminum. Haec vero inflammatio a principio statim maxime antiphlogistice, venaesectionibus et applicatione hirudinum tractanda est. Quum vero inflammatio ab initio torpida sit plerumque in suppurationem vertit et exitus ejus fere lentus ac segnis apparet. Medici vero tum est maturationem abscessus properare tepidis aromaticis cataplasmatibus vel emplastris tumori applicatis irritantibus et inunctionibus et si fluctuatio quaedam appareat atque durities in circumferentia tumoris evanuerit abscessum loco maxime demisso recludere. Quum abscessus admodum torpidus est potest loco maxime declivi parvum causticum assumpto emplastro superficiali imponi et crusta propulsa ulcus sic natum sagitta chirurgica perforari. Nam hac ratione major actuositas in abscessu gignitur et parietes ejus ad adhaesi-

vam inflammationem et concretionem aptiores redduntur.

Aliud denique medicamen quod quidam commendaverunt quanquam vix hoc loco proponendum videtur compressio est. Huic imprimis parva mollia recens exorta thyreophymata accommodata esse voluerunt quamquam econtra asseveratum est compressorio effici ut thyreophyma intus magis augescat ejusque cum caeteris affinibus partibus concretio adjuvetur. Utut id est haec curatio nunc certe non adhibetur quum praesertim pressura quantumvis aequabiliter divisa ab aegroto non diu perferri possit.

Fungum medullarem glandulae thyreoideae efficaciter et ab omni parte medicae artis beneficio curari posse nemo facile dixerit. Bene sane cum hominibus est malum hocce quod aeque atque fungus medullaris omnis tenebris crassissimis circumfusum est rarissime inveniri. Est autem nonnisi significatio universalis infirmitatis et valetudinis cachecticae quae aegrotum paullo postquam apparuit occupat et rapidissima velocitate unicae laborum suorum sedationi morti obviam ducit. Unum illud medico relictum est curationem instituere mere palliativam quae etiam tum semper unica est quum thyreophyma insanabile est. Ei id unum propositum est quomodo misero aegroto cruciatus dirissimi levantur ac quies et sedatio dolorum suorum infandorum comparetur viresque magis in dies collabantes quam maxime conserventur. Levationem dolorum narcoticorum usu consequi possunt, vires autem sustentantur alimentis nutrientibus sed concoctu facilibus. Extrinsecus usurpentur item narcotica cataplasmata, Aqua saturnina, ita tamen ut caveatur ne aegrotus externis noxiis importunitatibusque tangatur et tumor apto suspensorio allevetur. —

Haec sunt in universum omnia ea quae de curatione thyreophymatis quatenus medicamentis pharma-

ceuticis deforme illud malum invadere possint affe-renda esse videntur. Reliquum igitur est operativam curationis partem propius considerare et quomodo viâ operationis cruentae thyreophyma tollere conati sint chirurgi quamquam non enucleate sed tamen presse cogitando examinare. Operatio thyreophymatis ipsa tum demum agi potest, si malum tantum pernicialem gradum consecutum est in quem curatio medica omnino nihil pollet et salus aegroti usque eo in capitis periculum illatum est ut ne spiritu intercluso vita finiatur timendum sit. Operationis methodi exstant quinque, quarum ligatura A. thyreoideae sup. ea est quam minimum periculum consequitur et quae haud admodum difficultatibus magnis exsequenda est. Spectat ut quominus vasa sanguinem glandudulae amplificatae adducant impediatur itâque illa incassum redigatur. Desiderat eam nonnisi si proprie ejus methodi rationem quaerimus thyreophyma aneurysmaticum quamquam etiam in degenerato aliquid efficere posse chirurgi nonnulli autumaverunt. Quae methodus sicuti reliquae infra commemorandae rationes ut amplius describentur tamquam munus akiurgiae assignandum reprobamus.

Deinde ut setaceum tumori inseratur permulti suaserunt idque tam acriter fecerunt ut illam operationem utpote in omnibus formis perutilem semper instituendam esse dixerint. Quatenus autem et quo jure setaceum tantopere elatum sit vel quidquid in hac laudatione nimiae cuidam cogitationis ubertati assignandum sit equidem dijudicare non audeo, modo illud unum moneo ut permulti casus exstent lamentabilis exulcerationis quae miserum morti adduxerit. Huc accedit quod eo thyreophyma non totum usquam dissolvatur. Flagitat illud imprimis thyreophyma lymphaticum quod vocant, sed si non sordidus ejus effe-

cellulosa glandulae thyreoideae. Hypertrophia ejus secretione efficitur liquoris mucosolenti lymphatici vel albuminis similis oleosâ viscosâ consistentiâ. Initio hic tumor digito sensum nullum alium praebet quam hypertrophicum qualis in testiculis in sarcocele invenitur ac potest is in una modo alterave glandulae parte vel singulis ejus lobulis consistere quae tum magis prominent. Progressu vero mali cellae aut vesiculae oriuntur quae denique in cystides abeunt quae usque in pugni magnitudinem crevisse dicuntur. Si tale thyreophyma medium seces cellae apparent pisiformes vel etiam minores quibus lentus facile coagulans liquor continetur. Et vero sacciformes variis liquoribus completae caveae specie steatomatum aut ekchymomatum sanguineorum aut abscessuum et hydatidum inventae sunt. Et quum parietes alterius cellae alteram contingant genus quoddam oritur cavearum demissarum glumosarum vel magnitudine variarum. Hae caveae magis in dies condensantur donec temporis decursu lamellarum suarum concretione cartilagineam interdum vel osseam duritiem nanciscuntur. Tale thyreophyma hac cystidum formatione insigne Beckius thyreophyma cysticum appellat, cum quo nomine thyreophymatis illius vel bronchoceles veterum medicorum serosum, aquosum, hydaticum helminthicum convenire videtur. In universum hoc genus thyreophymatum lentius crescit et innovationes vel expansiones vasorum aut exiguas aut nullas exhibet, tactu est molle et elasticum et inaequale et tuberculosum pro ut plures cystides oriuntur vel lobuli plures augentur. Interdum unum tantum modò circumscriptum et elasticum ekphyma continet quo pergrandis tumor et plurimus liquor continetur. Hoc genus thyreophymatis quale a nobis descriptum est, cretinorum qui vocantur proprium est. —

Sub thyreophymatis degenerati nomen permagnus numerus tumorum redigi solet nec dubitaverunt ut

quaeque comparata fuit, thyreophymata fungosa, sarcomatosa, steatomatosa, calcaria, scirrhosa aliaque statuere, quae nomina in quas thyreophymatis formas cadere debeant nondum inter medicos satis convenit. In universum hoc nomine id thyreophyma significatur in quo neque infiltratio in telam cellulosam vel pseudorganisatio neque ectasis vasornm arguitur sed cujus causam degeneratio substantiae glandulae ipsius continet. Potest ea plurimas formationes et texturae diversitates exhibere et qualitatem vel scirrhosam prae se ferre. Haec forma in qua omnes formae quotquot existere possunt abnormis cujusdam vegetativae actionis luxuria reperiuntur lente nascitur et diversam consistentiam naturamque physicam praebet. Attamen tactui tumor durior tuberculosior solidior inaequalior est quam in caeteris generibus excepto fungo medullari glandulae thyreoideae. Proprium ejus originis est ut fixi et perforantes dolores a collo sursum tendant et quum degenerata materia cum contiguis partibus veluti musculis atque trachea cito concrescat, respirationis molestiae initio jam oriantur quae pressura et dislocatione et tractione partium admodum gravium magnopere augeri possunt. Apparent varicositates et adeps in partibus iis quas malum invasit paullatim omnino evanescit. Num ulceratio et abitus in carcinoma apertum observata sint nondum certo exploratum est.

Quae quum ita sint non necesse est pluribus exponere quam non recte partitio ponatur thyreophymatis sporadici et endemi, hereditarii, congeniti et acquisiti. —

Symptomatologia morbi: Thyreophyma modo lentius modo citius oritur et elasticitatem quandam exhibet. Et quamqnam collum deforme reddit et virgines praesertim timent pulchritudini ac venustati, vocis tamen nulla neque imminutio neque depravatio fit. Quid?

quod alia incommoda sanitati non afferuntur. Sed haud ita multo post venae quoque superficiales expanduntur et agunt varicositates et passim aliquantum super tumorem extendi incipiunt. Tumor ipse aut magis in sternum laxus propendet aut in lateribus crescit et laryngum tracheam et partes vicinas comprimit. Accedit quod tumor diu in hoc gradu consistere aut magis etiam amplificari et pressura in partes vicinas gravissimas et concretione cum his eo usque procedere potest ut a vitae periculo prope absit. Respiratio anhelare incipit et molesta fit id quod in quovis motu paullum citatiore augetur. Incipiunt vasa colli pressurae magnitudine intumescere quo facto libera sanguinis in cerebro circulatio impeditur et magis minusve symptomata congestionis in caput, vertigo, inexpugnabilis paene somni necessitas, haemorrhagiae narium apparent. Etiam oesophagus magnam compressionem pati potest quae maximas deglutiendi molestias affere et ad extremum facile lethalis evadere potest. Quid? quod larynx comprimitur et vita per asphyxiam vel apoplexiam finiri potest. Vox vero suavitatem suam amittit lingua rauca fit et rava et paene quaxat. Si quis in hoc mali gradu fauces aegroti explorat saepenumero maximae dislocationes animadvertuntur. Est enim pharynx magis minusve in alteram partem detortus et simul magis sursum levatus, itaque in saccum mutatus est qui laryngem ante ipsum positum magis antice et deorsum premit. Has importunitates imprimis in thyreophymate maligno quod plerumque fungo medullari continetur observatas esse volunt.

Diagnosis: Diagnosis thyreophymatis plerumque quum decursus symptomata et notae variae quae in descriptione trium illorum a nobis propositorum generum usu venire solent accurate observata sunt, difficilis esse non potest; nam loci natura in quo tumor oritur, major minorve lentitudo qua crescit pariter atque diversi-

tas naturae physicae aliorum in collo exsistentium tumorum non fere errorem admittunt et commutationem aliorum morborum patiuntur. Huc accedunt causae morbi quae ut deinceps a nobis explicabitur permultum ad thyreophymatis cognitionem conferunt; illud tamen concedo thyreophymatum genera inter se confundi posse.

Ac primum quidem thyreophyma cum Bronchocele interdum confunditur quum deglutitione vehementi vel aliis majoribus contentionibus membrana mucosa trachealis inter duas cartilagines in sacci formam expanditur itaque tumor emphysematicus gignitur quae conditio nomine Bronchoceles seu herniae trachealis suo jure appellanda videretur si tumor ita genitus elasticus esset pressione loco moveretur semota vero compressione iterum appareret. Dicitur is quoque tumor crepitantem sonitum edere.

Lipomata et cystides multimodis cum thyreophymate commutatae sunt quamquam alio tactu sunt pro ut materia quae iis continetur alia est. In lipomatibus enim si quae sunt rectam diagnosin et tumoris in complures lobos divisio et exsistentia funiculorum telae cellulosae induratorum praestabunt.

Praeterea glandularum jugularium anteriorum intumescentiae aliquam similitudinem illae quidem admittunt, attamen tûmores qui iis exorti sunt aliam consistentiam habebunt et si anceps judicium fuerit habitus fortasse praesens scrophulosus vel affectiones scrophulosae ante observatae judicio diligentis medici subvenient.

Deinde varices V. jugularis internae quae rarissime certe incidunt saepenumero mollem tumorem et qui facile loco moveatur in collo gignunt qui super thyreophyma sedet et tussi facile redit. Quid? Interdum vibrans et perexiguam pulsationem efficiens motus animadverti dicitur. Quum vero in aliis for-

tasse partibus varicositates venarum invenientur vel continuationes venae jugularis internae in summo collo varicose expansae deprehendentur mali praesentis natura opinor satis perspicua erit.

Aneurysmata constat arteriarum carotidum tumorem efficere in utroque colli latere ab initio mollem et qui facile comprimatur qui plerumque in altera utra tantummodo parte occurrit, frequenti pulsatione est et in lanryngis motionibus non simul sursum atque deorsum moveatur. Si eum manu quis sustulerit tumor fortiter pulsabit perinde ut arteria comprimetur vel expandetur. Sin vero aneurysma a collo quis detrahat aeque fortem pulsationem in eo animadvertit. Est id autem admodum animadversione dignum quoniam interdum verum quoque thyreophyma si in carotidem incumbit pulsationes exhibet.

Scirrhi veri glandulae thyreoideae rarissime certe usu veniunt et duritie sua inaequali permagna statim prodent et quum glandulam thyreoideam solam invadere possint tumorem mediocri magnitudine ostendent.

Fungus denique medullaris glandulae thyreoideae ab initio aequabili duritie sua deinde vero molli tumore quasi fluctuationes movente et qui in magnitudinem satis deplorabilem crescere possit se indicat. Nam in ambitus amplificatione anteriores musculi cervicales et cutis intenduntur et in ipsa cute venae superficiales varicose extensae conspiciuntur et suscipitur color sublividus qui in coeruleum ludit. Quum carcinoma in ulcerationem vertit initio intermittentes deinde vero continuati dolores incidunt, exsistunt labores deglutitionis et respirationis quibus ad extremum cruciatibus miserrimis aegrotus confectus et cachecticus cujus species brevi post mali originem magnam miseriam prae se fert enecatur.

Aetiologia morbi: Proxima thyreophymatis causa incerta nobis est et ita ignota ut quamdiu physiologorum operâ functiones ac natura glandulae thyreoideae non detegetur et illustrabitur ortus thyreophymatis tenebris involutus mansurus sit. Itaque evenit ut medicae artis scriptores huic dubitationi se subtrahere conarentur et endemas causas statuerent quibus ortus thyreophymatis potissimum constitueretur His vero artibus et commentis quid ad positivam medicam artem efficiatur et conferatur quis non videt qui modo paullulum rerum naturam et conditionem intuetur? Accedit quod omnis istarum causarum quae umquam propositae sunt et magna ex parte ipso usu refelluntur multitudo abunde demonstrat nihildum experientiâ de hoc morbo effectum et comprobatum esse veluti quum animadverterent thyreophyma in iis regionibus montuosis admodum frequenter inveniri quae paullo amplius sint et latius pateant et imprimis lacubus ac stagnis repletae sint ut in Alpibus: non dubitaverunt contendere nimium aquae nivealis haustum vel e nive resolutae principalem ejus mali causam esse, Id in Alpibus sane probatum est; attamen illud jure optimo opponitur malum hoc tam molestum etiam in Sumatra insula haud insolitum esse qua insula aquam nivealem non potari certissimum sit. Quid? quod Genevae et in partibus Italiae iis quae Helvetiam et Alpium tractus adjacent thyreophyma endemus morbus est etsi aqua e nive resoluta nulla potatur. Vice versa in orientalibus Americae septentrionalis oris, quae peninsulam Labradoriam efficiunt, nihil praeter aquam e nivibus recens liquefactis resolutam hauritur et tamen illis locis paene nullum thyreophymatis vestigium est. Itaque quisque illud certe sibi facile persuadeat aquam nivealem vel glacialem quoniam principio suo carbonico careat non esse unicam causam quamobrem thyreophyma existat.

Quum igitur appareret hoc, modo nihil de thyreophymatis vel causa vel origine effici, aquae puteali se commiserunt qui necessario certam sententiam de mali nostri principio probare conati sunt et potationi aquae putealis argilia, marga, selenio, calcaria mixtae nihil non mali et omne damnum in vasa lymphatica tribuerunt. Quod idem in aquis fodinarum metallicarum usu venisse dicunt eamque cum alia ex aliis fontibus promanante commutaverunt quo facto morbum evanuisse ferunt. Non esse autem aquam putealem acido carbonico privatam vel marga vel calcaria mixtam unicam causam quamobrem thyreophyma nascatur, inde apparet tales aquas in permultis regionibus in commune usurpari veluti aqua in balneis Carolinis, Gottingae, Badis inque aliis oppidis quibus locis thyreophymata frequentiora non sunt quam alibi inveniuntur.

Alii hanc sententiam proposuerunt thyreophyma usu adiposorum crudorum oleosorum ciborum oriri velut hippocastanorum; quae refutatione nulla eget, namque permultae gentes sunt quae piscium adipe oleo et alimentis crudis per totum annum vivant.

Verisimilius illud est quod a nonnullis dicitur propriam quandam aëris naturam endemorum thyreophymatum causam continere, quam sententiam plerique autores nunc in vulgus tuentur, quamquam difficile dictu est quae ejus aurarum constitutionis natura sit. Humidum quidem crassum intermittentem eodemque calidum convallium aërem arguerunt, ejusque thyreophimatici aëris analogiam quandam cum humido palustri miasmate invenisse sibi visi sunt. Namque in humidis depressis silvarum plenis convallibus thyreophyma imprimis frequens est, deficit vero simulatque regiones descendunt ac montibus opplentur. Itaque Humboldtius recenti tempore contendere non dubitavit aëris defectum electricitatis endema thyreophymata gignere et vero quae ejus exploratione locorum omnium

in quibus thyreophyma endemum est demonstrantur electricitatis defectus quidam esse videtur in iis praesertim vallibus quibus humores caloresque aurarum nullo venti spiritu ac perflatu mitigantur.

Fateor laxitatem quandam et imbecillitatem glandulae thyreoideae thyreophymati endemo ortum suum dare, sed tamen illud in aperto est esse eam nonnisi causam praedisponentem nec opus est ad originem ejus morbi secretionem quarundam peculiarium lentarum materiarum per genus quoddam passivae congestionis necessariam non esse. Imo localem potius quandam imbecillitatem glandulae thyreoideae subesse debere inde liquet quod sexus foemineus multo magis eo morbo infestatur quam virilis et malum ipsum plerumque inde ab annis septimo ad duodecimum usu venit; simulac vero exortum est mutatione loci et demigratione in clima aliud morbus si non tollitur certe minuitur.

Magis autem causae occasionales exploratae sunt, nam momenta causalia omnes eae res intellectae sunt quibus turbatio quaedam circulationis et inhibitio sanguinis in collo et in capite efficitur quamquam negligendum non est multas istius modi mechanicas causas non tam thyreophyma quam potius branchocelen quae multum ab eo distat adducere.

In foemineo sexu thyreophyma imprimis aneurysmaticum cum anomaliis mensium vel systematis sexualis vehementer cohaeret veluti puellae puberascentes quum pubertas propinquat saepenumero thyreophymatosos tumores patiuntur, qui tamen evanescunt quum mensium fluxus incidit et rarissime tantum quoque remanent. Quid? etiam in graviditate saepe thyreophymatosi tumores in collo exsistunt qui tamen post partum iterum discedunt. Etiam menstruatio parca seu suppressa saepe tumores thyreophymatosos habet. In mulieribus autem annis climacteriacis post mensium